



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Iudicans leuiter & per suspicionem peccare potest.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

ferat secum peccatum mortale, sicut excommunicatio maior. Et potest suspensus absolui ab excommunicatione maiore & minore & à peccatis, & communionem sumere, & postea absolui à suspensione: quia suspensio non operatur nisi ad limites ipsius, hoc est, quasi si suspensio est ab ordine, non excludit nisi ab iis quæ sunt ordinis: si est à iurisdictione, non excludit nisi ab iis quæ sunt iurisdictionis, & sic de aliis, & propterea reliqua sunt licita. Casus autem quibus incurritur suspensio, multi valde sunt. Et quia solos clericos propriè tangunt, ipsi de seipsis loquantur.

*Iudicans leuiter & per suspensionem
peccare potest.*

Suspicio, qua ex leuibus iudiciis malam de proximo opinionem habemus, peccatum est: quia actus est voluntarius à recta ratione dissonans. Non enim ex leuibus moueri in animo nostro debemus contra nostros proximos. Est autem nonnulla iniuria, mala opinio absque rationabili causa. Et quoniam suspicio ambiguitatem quandam in seipsa claudit: ideo quandiu intra ambiguitatis latitudinem manet quantumcunq; crescat, nunquã est iudicium, quod definitiuam determinationem sonat: ac per hoc quantumcunq; suspitio sit temeraria & vehemens, & æstimatio firma, nunquam est peccatum mortale: quia non est iudicium temerarium, sed æstimatio temeraria: quia non interuenit tunc completè contemptus proximi, dum non prorumpitur in definitionem. Si enim proximum completè despiceret, prorumperet in definitiuam sententiam, & diceret in seipso, Ioannes in peruersæ mentis, & non diceret in seipso. Quantum mihi videtur. Ioannes est peruersæ mentis. Hoc enim est suspicantis, illud iudicantis. Vnde
iudicium

Sufurratio. 531

iudicium temerarium de scelere personaliproximi, est peccatum mortale: suspitio autem temeraria quantumcunque vehemens, est peccatum veniale.

Obloquentio amicitiam inter amicos minuens vel destruens peccatum est.

Sufurratio (hoc est obloquentio ad amicitiam tollendam inter aliquos) peccatum est mortale ex suo genere: quia tendit ad nocendum proximo, utpote tollere volens maximum bonum, scilicet amicum. Et est grauius peccatum quam contumelia & detractio, quantum amicitia melior est fama & honore. Contingit tamen sufurationem esse peccatum veniale propter imperfectionem actus vel ex parte intentionis, quia non intendit contra amicitiam, licet materialiter dicat aliquid prouocatum contra amicum. Et hoc nisi ex grauitate nocenti actus redeat in naturam suae speciei: quia tunc esset peccatum mortale: ut de detractioe materiali dictum fuit. Vel ex parte eius quod dicitur: puta quia minimum est ad prouocandum contra amicum. Vel ex parte modi, quia iocosè dicitur, & non seriò. Communiter enim haec sunt venalia.

Temeritas dupliciter considerari potest.

Temeritas (qua absque ratione regulante opera fiunt) manifestè peccatum contra consilii rationem est. Et dupliciter inueniri consuevit. Vel ex impetu appetitus passionis affecti: ut apparet in iracundis. Vel ex contemptu regulæ directiuae: ut patet in superbis despicientibus aut quasi despicientibus subiecti alienae regulæ, & temerè propterea agentibus ea quae fecisse postea poenitet.

Est autem peccatum veniale vel mortale temeritas

kkj secundum